

~~PH.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-27
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

St. Michael. alced

DEO BENEIVVANTE:

Theses

DE ANIMARVM STA-
TV POST MORTEM

CONTRA PVRGATORIVM
Pontificium

Ad disputationem XXV. in Collegio Studiosorum
Theologiae privato ad 1. Maij institu-
endam proposita

M. LAVRENTIO LAELIO Kleinlang-
hemio Franco,

Respondente,


GREGORIO HAGIO Obernbrettano Franco



VVITTEBERGAE,

Literis VVolfgangi Meisneri.

ANNO cl. l. IVC.



*REVERENDA EXCELLEN-
tia, doctrina exquisita, pietate gravi cla-
rissimis viris, Christiana veritatis mi-
nistris vigilantissimis, dignis:*

*Dn. M. Francisco Raphaeli Ecclesiae Onoldinae Pastori
& Vice Superintendenti,*

*Dn. M. Michaeli Stibaro Ecclesiae ad Dium Gumper-
tinum ibidem Concionatori primario,*

*Reuerendi & Spectatissimi Consistorij
Onoldini assessoribus eximijs,*

*Domini, Patronis & fautoribus suis summa re-
uerentia enixè prosequendis dicat
& consecrat*

M. Laurentius Lalius.

THESIS I.



Nesuitæ diuisionem Ecclesiæ in visibilem & invisibilem negantes, adeoq; bonos malosq; eodem censu hac in caduca vita habentes; ne altero etiam in seculo vni receptaculo gloriæ vel ignominia includere eosdem necesse habeant; peculiarem nobis furnum seu Alembicum infra terram turbinant & exstruunt, in quo demum examen censuramque priuatam, affationem & per-

colationem animarum instituunt.

2. Egregios furnarios, calones, qui tanto artificio scoriam peccatorum auferre, animas per purgare, sublimare, decoquere mirè didicerunt: inuentum inauditum, ex Pontificis synedrio profectum, acumine Iesuitico interpolatum, at singulis vniuersis Christianis detestandum.
3. Quantumuis autem fulmen anathematis intonet Pontifex, idque omnibus, qui ad ipsius nutum similiter non annuerint, immani voce minetur; tamen neque fulgur illud ex pelui; neque prester purgatorij tantoperè nos amburet, quin diutius paulò in eo commorantes perduremus, & penitus corporis animique oculis hiantibus arcana ipsius pellustremus.
4. AEdificium Purgatorij quatuor potissimum columnis Bellar. Bellar. lib. 1. de purg. c. 11. minus ruicit 1. Scripturæ. 2. euidenti deductione ex ijs, quæ habentur expressè in scriptura.
5. Immutum maneat oportet: in concussumq; si his duabus columnis vel solis Purgatorium fundetur; quis enim bonus eo impietatis impietatisq; delaberetur, qui contra scripturæ diuina effata aliquid moliri audeat?
6. Tertia columna ex puris putis traditionibus tumultuarium est opus: quarta ab epistylis illius dependet: vtraq; ruinæ proxima.
7. Et tamen ambæ vera & genuina illa vasti huius aedificij fundamenta sunt, quibus nos tum ex alijs, tum ex Bellarmino ipso addimus 1. Satisfactionem pro venialibus peccatis 2. Pro pœna, quæ mansit post Reatum Christi merito sublaturam; idq; fit vel propria vel aliena opera. 3. apparitiones spectorum. 4. tandem fabulas Gentilium; Platonis, Cicernis, Virgilij, Claudiani &c.

A 2

g. Quod

4. lib. 1. cap. 8. Quod autem de 20. locis Scripturæ gloriatur, impudentia est
lectæ istius hominibus innata, recentioribus præsertim Iesuitis qui
instar præstigiatorum orbi Christiano oculos offucijs sublinere to-
tis viribus annuntunt.

9. Eaq; hoc ipso loco luce meridiana clarius patescit. Contem-
plare quæso, veteratorum hunc purgatorij opificem Bellarminum;
Is absq; scriptura quidem, quæ unica in sancto Ecclesiæ agio locum
fidemq; dogmatibus conciliat, esse & deprehendi non vult; vnde
primo ordine eandem locandam, dogmatique hinc Antichristiano
testem præfigendam duxit.

10. Ita nudo duntaxat scripturæ nomine abutitur, quam tamen
simpliciter & directè nunquam admittit, sed ubiq; certam legem
cautionemque diligentem adhiberi vult. *Interpretationem videlicet
Ecclesiæ, puta Romanæ, sine qua ex illa sola lis finire nunquam possit.*

ibidem.

11. Quod si pietatis & conscientiæ, si candoris mica adhuc animo
Iesuitæ hareret, potius maiorum suorum ingenuitatem imitaretur,
qui apertam confessionem de Purgatorio suo ediderunt, nullo i-
stud scripturæ testimonio fundari.

fr. Roffensis.
curus à Soto.

12. Diceret cum ipsis Bellarminus: *tametsi ex scripturis non possit
probari purgatorium, veritas eius nihilominus cunctis Christianis
credenda est, idq; ex Romanæ Ecclesiæ instituto iudicioque.* Et
certè hoc idem enunciatum ipsius intendit, sicuti facile cuilibet ob-
scurum istud sermonis genus euoluenti animaduertere licet.

De purgato.
lib. 2. cap. 6.

13. De ædificij contignationibus & loco, diu multumque ab o-
mnibus Papiculis hætenus dubitatum fuit. At Bellarminus Iesuitæ
que recentiores tam diligenter omnes angulos perreptarunt, vt
certissima demonstratione, forsitan etiam aliquando ipso sensu &
experientia, singula vniuersa exponere queant. *Contignationes di-*

Lib. 2. cap. 10.

Patrum & infantum: *Locus est iuxta terræ centrum coniunctissi-*
mus inferno, vel etiam pars inferni.

14. Nec minus perspicuè pœnarum generarem olim ambiguam, nobis
edidit ita, vt summissima indicia alicui facere possit, eum pro-
prio sensu omnia expertum esse, aut futuram aliquando experien-
tiam visionis præludio cognouisse.

15. Et quidem duplex pœnæ genus in medium producit: *Damni
& se. sus* illa separatim ad Limbum Patrum & Puerorum; ambæ
coniun-

coniunctim ad Purgatorium pertinent, vbi animæ per ignem corporeum seu elementarem (qui idem etiam est cum igni Gehennæ) Lib. 1. cap. 9. multis exquisitissimis cruciatibus torquentur, affantur.

16. His ita explicatis definitio Purgatorij liquidissime constat. Quod sit locus subterraneus contiguus inferno, vel etiam pars inferni anterior contigua Limbis, in quo animæ saluandorum vel peccatis venialibus pollute, vel pœnæ reatu impuræ, à facie Dei exsules ipsissimo Gehennæ igni torrentur excrucianturque, vsque dum vel sufficientibus cruciatibus, vel amicorum superstium sacrificiorumque intercessionibus & suppetijs celo vitæque beata dignæ reddantur ac liberentur.

κατὰ μὲν οὖν.

17. Hinc status controuersia petitur. Nam præter sedem beatorum & infernum tertius sit locus intermedius purgationi animarum imperfectarum destinatus. Papistæ aiunt. Nos negamus.

18. Causæ nostræ scriptura multis suffragijs illustribusq; argumentis vbiq; fauet, cum ex aduerso illi hoc auxilio prorsus destituantur, & vix coactis lacerisq; aliquibus sententiolis sese sustentare valeant; id quod nunc demonstrabimus.

κατὰ σκευή.

Locus I.

19. 1. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur. 2. Qui credit in Filium habet vitam æternam, qui autem incredulus est FILIO non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum. Marc. 16, 16. Iohan. 3, 36. 1. Iohan. 5, 10.

20. Tam, perspicuus est horum dictorum sensus, tamq; euidentiâ firmâq; rationum momenta pro orthodoxa nostra sententiâ asserenda, vt inde citrà laborem quilibet, etiam nondum ephæbis egressus, vanitatem Purgatorij Papistici agnoscat.

21. Quia enim, Spiritus sanctus causas nostræ salutis in vtrisque apertè dilerteq; exponit: Deum misericordem: Christam promerentem: Verbum & Sacramenta medium μεταδόσεως: Fidem medium ἀποδοχῆς: neque nudè solum exponit, sed vltèrius etiam collationem eandem cum hominibus instituit; quos non nisi gemino loco bipartitoque ordine collocat; nulla certè ratione tertius constare poterit.

A 3

22. Porro

22. Porro prout sese habet humanum genus hoc in seculo, ita subsequenter futuri seculi conditionem idem Spiritus S. exinde colligit & metitur. Ibi *Fide & in credulitate* res tota expeditur, hic vel vitæ æternæ hæreditas certissimum præmium, vel gehennæ ignis æternus tormentum ineuitabile.

2. Cor. 5, 10.
Rom. 2, 6.

23. Sic igitur conclusio firma nectitur: Duo tantum distincta loca, ad quæ hominibus demortuis deueniendum sit, restare; sicuti duo tantum sunt ordines, Credentium & incredulorum, qui pro ratione transactæ exactæq; vitæ præsentis, tandem vel gloria fruuntur, vel ignominia afficiuntur.

Lib. I. cap. 8.
de purgat.

24. Neq; verò cum vniuersali demum mortuorum resurrectione ultimoq; iudicio binarius iste numerus initium capiet, quasi inter eam temporis tertia & intermedia quædam Purgatorij sedes esse possit & debeat, sicut friuole argutatur Bellarminus.

Ioh. 5, 24.
Ioh. 3, 13, 36.

25. Sed vt hac in caduca vita homo aut fide iustificatus, aut incredulitate damnatus pronuncietur, ita post emissum vltimum halitum eo ipse momento exsecutio subsequitur; qui in fide decessit in *iudicium non veuit, sed transit à morte in vitam*; qui in incredulitate, *jàm iudicatus est & ira Dei manet super eum.*

cap. 8.

26. Neque minus friuola ineptaque altera argutatio est, quam ibidem proximè subiungit his verbis: *Fides ex se iustificat & saluat, si aliunde non sit impedimentum.*

27. Impedimenti voce more sibi consueto notat venialia peccata & reatum pœnæ. Nos vnico Psalmi 32, 1. dicto respondemus, credentibus ista nequaquam impedimento esse, sed & iniquitates remissas & tecta peccata. Neq; enim iustificatio nostra ex dignitate & merito personarum dependet, sed ex sola Dei gratia, qui Christi iustitiam nobis imputat. Rom. 3, 28. Ephes. 2, 8.

28. Quin & illa ipsa verba in suum auctorem retorquemus, & in purgatorij demolitionem adhibemus, hoc syllogismo.

Fides ex se (quod tamen in collatione cum reliquis: Iustificationis nostræ causis, non nisi cum grano salis accipiendum) iustificat & saluat, si aliunde non sit impedimentum, vel: Ibi est præsentissima salus vbi est Fides, cui aliunde non sit impedimentum.

Atqui omnes, qui vera fide in Christum moriuntur habent talem fidem. E. eo ipso momento præsentissima illis salus est vitæq; æterna.

29. Neq;



29. Neque porro argumenta illa; quibus ex venialibus peccatis & Bellarminus
 pena temporalis reatu moram animarum in purgario adstruere lib. i. de purg.
 conatur, aliquid roboris in se habent. cap. 7. & lib. 2.
 cap. 9.
30. Prima quidem ratio multiplici carcinomate laborat: 1. Non
 tantum quidam, sed omnes credentes in et cum peccatis venialibus
 moriuntur, omnes luctam carnis & Spiritus, quae non nisi cum vlti-
 mo halitu cessat, sentiunt. Rom. 7, 17, 19, 23. in carne etiam sanctif-
 simorum, nihil boni habitat, ibidem vers. 18. quapropter non qui-
 busdam duntaxat, sed singulis vniuersis, etiam Paulo Apostolo, Pur-
 gatorium adendum esset. Vbi autem perfecti Papistarum?
31. 2. Veniale peccatum non dicitur ex *leuitate materiae*, qua ratione
 si hominem & facta gesta; hominis in sua natura per se confide-
 res, omne peccatum mortale est aeternae; damnatione dignum Eph.
 2, 3 Sed veniale dicitur ratione hominis credentis, renati; inq; pœni-
 tentia & fide omne discrimen vtriusq; peccati consistit.
32. 3. Impium: quod Iesuita *non intelligibile iudicat*, quomodo ver-
 bum ociosum ex sua natura perpetuo odio Dei & sempiternis flam- Rom. 14, 10.
 mis dignum sit; quin & *stultum* idem dicit, contra expressum Dei
 verbum, Matth. 12, 36.
33. 4. Falsissimum: illum qui *habet voluntatem manendi* in peccato, Ibidem & libro
 qui *in complacentia* peccati moritur, peccati tantum venialis reum 1. cap. 10.
 agi. Qui enim condelectatur peccato, in illo regnat peccatum
 Rom. 6, 12, 14. quid? quod ipse sibi in proximè præcedentibus verbis
 contrarius est, & peccatum istud, quod fit ex consensu mentis de-
 liberato, manifeste mortiferum nuncupat.
34. 5. Falsissimum deniq;: nobis pro illo peccato veniali esse satis- Es. 53, 5, 6, 7, 8.
 faciendum, blasphemum in vulnera & mortem Christi, cuius san- Tit. 2, 11.
 guis ab omni peccato nos emundat. 1. Ioh. 1, 7. cap. 2, 2, neq; in ali- Hebr. 2, 14, 15.
 quo alio datur salus. nec est nomen sub celo datum hominibus, in 9, 10, 11, 10, 14.
 quo oporteat nos saluos fieri. Act. 4, 11, 12.
35. Secunda ratio aequè cadauerosa est. 1. Cum ipsa culpa etiam Jerem. 10, 15.
 vltionis pena condonatur, at propterea calamitates quoq; & af- Psalm. 33, 13.
 flictiones, quae sequuntur peccata, quibusq; credentes post actam 19, 73, 34.
 penitentiam subiiciuntur, tolli minime necessum est. Sunt enim ea 2. Tim. 2, 11.
 paternae castigationes, pijs vtilissima. 1. Corinth. 11, 32. 1. Petr. 1. Pct. 1, 6, 7.
 5, 6.
36. 2. Etiam si etiam pena dicantur, quomodo verò Iesuita proba-
 bit,



bit, eas esse satisfactiones pro peccatis. Diuersissima namq; sunt: post conuersionem de commissis peccatis poena temporali corripi- mur: & poena illa satisfactio est debita culpae praeteritae ex iustitia. Prius tanquam verum verboq; Dei consentaneum acceptamus; po- sterius vt erroneum & impium execramur.

Ose. 13, 4, 9, 14
Gal. 3, 13.
Colofs. 2, 14.
1. Thes. 1, 10.
Heb. 2, 14, 15.

Psal. 49, 7, 8.
Gal. 3, 10, 11.

37. Christus is est & solus is est qui vtrumq; reatum & poenae & culpae expiauit. & pro vtroq; sufficientissimum precium soluit. E- saiae 53, 5. Rom. 5, 9, 10, 17, 18, 19. solus torcular calcaui & de gen- tibus non est vir mecum Esa. 63, 3. Et quaeso quid aliud est? nisi ple- nissima pro culpa & poena satisfactio, quod a maledictione legis, ira & morte Christus nos liberasse dicitur. Quid contra aliud est? nisi contumelia in Christum & mera illusio euersioq; redemptionis & salutis nostrae, partitio illa culpae & poenae. Certè & poena & cul- pa infinitae iustitiae iraeq; Dei obstringimur; quod si Christus cul- pae tantum respectu vices nostras subiit, quomodo cum poena ater- na salus nostra constabit? quis hominum sufficiens soluendo erit & infinitum irascenti infinito Deo precium dependet? Eò tandem perditum istud & funestum Antichristi dogma Iesuitam adigit, vt fidem & spem de consequenda salute hominibus in vniuersum neget, adimat.

38. 3. Penam Dauidis 2. Reg. 12, 14. quod attinet, nondum pro- bauit Iesuita eam fuisse satisfactionem pro peccato ibi commissio. Finis autem longè diuersissimus assignatur; quia blasphemare feci- sti inimicos Domini. Inimicos intelligit tum Ammonitas, qui vi- ctos in praelio multis Israelitis vna cum Vria trucidatis, & populū & Deum Israelis ridebant: cum Saulis posteros, qui factum Dei in electione Dauidis loco Saulis reprobati, culpabant.

Psal. 69, 27.
Ecclesiast. 3, 4.
Eccl. 47, 2.
Actor. 4, 25.

39. Praeterea inimicos Dei Dauid blasphemare fecit; quia ex hoc ipso peccato tanti viri, regis Ecclesiae & serui Dei suam impietatem palliare poterant. Punitur ergo illis in exemplum & terrorem, ne talibus & similibus delictis sese polluerent, alioqui non leuiore poenas senturi.

40. Hunc finem ipse Iesuita animaduertit, sed malitiosè tacuit, & debitam satisfactionem eius loco substituens prorsus, peruertit, vsus auxilio vulgatae editionis Latinae.

41. 4. Poenae & Calamitates quibus pij perpetuo premuntur, cum hac vita finem capiunt, nihil igitur ad purgatorium stabiliendum faciunt,

faciunt, nisi prius probatum fiat post mortem demum eas aliquibus
irrogandas. At quo medio id probabitur? Satisfactio pro culpa ve-
nialis peccati & reatu pœnæ si regeratur, ea planè euanida est, fun-
ditusque à sacris literis subversa, protrita, sicuti nunc propalam fe-
cimus.

Locus II.

42. 1. *Vbi sum ego, (Christus) ibi & minister meus.* 2. *Deside-* Joh. 12, 26, 14.
rium habens dissolui & esse cum Christo. 3. *Scimus enim quod si terre-* Phil. 2, 23, 24.
stris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod adificationem ex 2. Cor. 5, 1, 2.
Deo habemus, domum non manu factam, æternam in celis. 4. *Dum* versu. 8.
sumus in corpore peregrinamur à Domino & c. & bonam volun-
tatem habemus peregrinari a corpore & presentes esse cum Domino.

43. Inde hoc pacto firmissime concludimus.

Vbicunque Christus est, illuc ministri eius omnesque pij statim
post emigrationem ex corpore hoc mortali recipiuntur.
At Christus in celis est, ibidemque æternæ vitæ gloria perpetuo
fruitur. Et pij statim post emigrationem & c.

44. Propositionis maioris nexus ex allegatis locis per se satis su-
perque claret. Christus ministris suis omnibusque pijs certam se-
dem fixamque mansionem in domo Patris sui pollicetur, vnam
eandemque cum sua sede, respectu beati gaudij & vitæ æter-
næ.

45. De hac enim sola ibi loquitur, vnicusque eius sermonis hic sco-
pus est; piæ defunctorum statum & conditionem latam æternæ
beatitudinis exponere: Nihil hinc de maiestatis illa solaque SIBI pro-
pria rectè à dexteram Patris sui Christus agit, quod Calviniani
somniaut, cum tamen ad eam ne angelus quidem euehatur. Hebr.
13.

46. Porro Paulus cum dissolui cupit immediatè dissolutioni à cor-
pore peccati desideratissimam coniunctionem cum Christo sub-
iungit. Omnes etiam fideles post obitum illico ad Dominum per-
tingere, e contra in præsentem vitam à beata ista societate continuè ex-
sulare dicuntur, atque ita vicissitudo geminæ istius peregrinationis
graditur, vt alterna permutatione immediatè sibi inuicem succe-
dant, vniusque negatio alterius immediata assertio sit & contra.

47. Imbecillis autem planè & enervus est Bellarmini obiectio, lib. 1, de purg.
quam cap. 2.

B

quam ex illis verbis (Si tamen vestiti & non nudi reperiamur) rexit;
 Quasi ij soli, qui hac in vita sufficientibus meritis & virtutibus, ac
 proinde perfecta pœnitentia instructi indutiq; fuerint, mox in do-
 mum celestem deducantur; alij autem non nisi per ignem saluen-
 tur. At scriptura indumentum istud Christum solum eiusq; meri-
 tum adpellat. Gal. 3, 3, in quo quicumque firma fide perseveranter
 acquiescunt, nulla vnquam amplius tormenta post mortem perfen-
 tilcunt. Luc. 16, 25.

Locus III.

Luc. 16, 22,
 24, 25.

48. Factum est autem vt *moneretur mendicus & portaretur ab An-
 gelis in sinum Abrahamæ: mortuus est autem diues & sepultus est in inferno
 & c. Crucior in hac flamma & c. nunc hic consolatur, tu verò cru-
 ciaris. 2. Hodie mecum eris in Paradiso.*

Luc. 23, 43.

49. Colligenda hîc nobis sunt quædam axiomata Iesuitæ, quæ in
 libris de purgatorio & alibi sparsim posuit. 1. Animas piorum
 ante Christi adscensum non fuisse in celo, sede beatorum. 2. *Moy-
 sen & Heliam* ibi tum in carcere limbi vinctos latuisse. 3. *Henochum*
 translatum in Paradisum terrestrem, quo per diluuium destructo,
 alio à Deo hospitio exceptum. 4. *Sinum Abrahamæ esse limbum Patrum.*
 5. Sine sufficienti perfectaq; purgatione à peccatis neminem in-
 gredi in celum, quia nihil coinquinatum eò intrare potest.

Lib. 4. de Chri-
 sto cap. 11.

Lib. 2. de purg.
 cap. 8.

Lib. 1. de san-
 ctor. beat. c. 3.

Lib. 4. de Chri-
 sto cap. 11.

Li. 1. de purg.
 cap. 1. & 4.

50. Videmus sententiam scripturæ, palpamus, assertiones Iesuitæ,
 neq; inquisitione opus esse arbitror, vt pugna Iesuiticæ doctrinæ
 aduersus scripturam sacram nota conspicuaq; fiat, siquidem ipsa
 duntaxat nuda verborum inspectio vtriusque partis & collatio ma-
 nifestissimè prodit perpetuam contradictionem, qua altera alteram
 impugnat, scripturæq; veritas Iesuitarum somnia elidit, evertit.

11. Exemplum certè Lazari & Gulonis euidentissima demonstra-
 tione statum animarum ab excessu è corpore explanat. Lazarum in
 sinum Abrahamæ euectum locatumq; 3. gulonem vsq; ad ima tartara
 abiectum detrusumque exprimit.

Li. 1. de purg.
 cap. 4.

lib. 2. cap. 11.

52. De statu conditioneque gulonis ipse Bellarminus cum Ortho-
 doxis sentit, esse nempe eum extremi exitij æternæq; damnationis,
 vbi nulla spes salutis, nullum præsidium liberationis, sed æterni i-
 gnis, quem tamen elementarem esse erroneè opinatur, in omnem
 æternitatem duraturi cruciatus.

53. De statu Lazari multos crassissimos errores errat, id quod ex
 iam



iam recitatis apparet: Immergit eum in limbi lacum pœnæq; da-
mini subijcit. Nos contra veritatis scripturæq; normam obseruan-
tes locum ei assignamus perpetui solatii & gaudij, sedem beatorum
vitamq; x. idq; nunc vltcrius allegatis scripturæ locis confirmabi-
mus.

54. 1. Angelorum ministerium nunquam pijs in perniciem vergit, ^{a Actor. 5, 26}
sed a gaudio illis potius est maximo salutem omnium promouere, ^{1. Pet. 1, 12.}
iuuare. Luc. 2, 10. Luc. 15, 7. ^b Salus verò est pijs facies Dei. 1. Cor. ^b Pl. 31, 17, 51.
13, 12. Psalm, 27, 8. 9. pernicies priuatio faciei. Psalm, 51, 13. 102, ^{13. 67, 1, 30,}
2. Jerem. 33, 5. E. ^{s. 20.}

55. 2. Videat nunc Iesuita qua ratione sinus Abraham eum Limbi ^{Num. 6, 25, 26}
carcere conuenire queat. Lazari conditio angelorum opera multo ^{1. Ioh. 3, 24}
latior beatorque facta est, quod neutiquam constaret, si maxime ^{Ioh. 6, 51.}
necessario dono saluberrimaq; gratia, facie nimirum Dei, cuius sen- ^{Ebr. 6, 40}
sum & gustum hac in vita tenuerat, priuatus fuisset. E.

56. 3. Abraham est in regno celorum Matth. 8, 11. E. 4. Conso- ^{lib. 1. cap. 50}
latio nulla omnino reliqua exsulantibus à facie Dei; & quid quid
Iesuita de aqua consolationis in Limbo deblaterat, vana sunt ludi-
bria; Quin potius vbi nulla est facies, hoc est, sensus præsentia,
benignitatis & fauoris Dei, ibi perpetuus horror iræque diuinæ in-
tolerabile onus Gen. 4, 14. Psalm 30, 8. At Lazarus lætatur. E.

57. 5. Christus latroni post mortem statim, etiam Bellarmino teste, ^{Lib. 1. cap. 50}
qui simpliciter & absq; omni figura promissionem istam intelligen- ^{de sanc. beato}
dam rectè præcipit, paradysum promittit, qui nihil aliud, nisi ipsissi-
ma vita æterna est. E.

58. 6. Latro crebris enormibusq; facinoribus impurissimus, totoq;
vitæ cursu sceleratissimus, sine vlla satisfactione expiationeq; an-
regressa, vnica ardenti prece, iam iam animam exhalaturus,
rem transigit solaq; fide in Christum optatissimam salutis metam
consequitur. E.

59. Quam autem Iesuita satisfactionem refert; mortem illam du- ^{lib. 1. de purg.}
rissimam patientissimo animo toleratam & confessionem tam ad- ^{cap. 50}
mirandam. Respondemus 1. Confessionem quidem nos agnosce-
re, sed non mentoriam: quid enim quæso mereri is potest? qui con-
fiteatur, deprecaturq; culpam: quid debiti exigere? qui creditori
pauperie exposita de remissione, vel etiã dilatione solutionis orat,
obtestatur, Matth. 18.

60. 2. Mirari satis non possumus, quo pacto istud poenae mortisque
genus, à Magistratu ob scelera nefaria flagitissimo isti latroni meri-
to irrogatum, in precium redemptionis à poena coram Deo cedere
queat. Latronibus nē & facinorosis post mortem melius erit quàm
pijs? quæ hæc dementia.

61. Sic veritate nostræ sententiæ tantis argumentorum aggeribus
communita assertaque, facillimè inde superius recensita Iesuitæ a-
xiomata expugnabimus, prosternemus. Quin & quartum eorum
iam in fumos abiit: primum & vltimum vltro corruunt. Iazarus cer-
te & Iatro ante adscensum Christi celo suscepti sunt, idq; absq; o-
mni satisfactione vel propria vel ab alijs emta.

62. Secundum & tertium, propter enormem in sanctissimos illos
Dei seruos scripturamq; ipsam impietatem & blasphemiam stupo-
rem quendam nobis incutiunt. Enoch Gen. 5, 24. Eccles. 44, 16, 49,
16. coram Deo hoc in mundo ambulans, fide sublatus est à Deo ne
videret mortem. Heb. 11, 5.

63. Helias spectante Elisæo in celum per turbinem raptus est. 2. Reg.
2, 1, 11. Ecclesiastic. 48, 13. Moyses Dei amicus & familiaris. Exod.
33, 11. de facie ad faciem notus Deut. 32, 10. Heb. 3, 2, ideoque cum
eo de ore ad os locutus Num. 12, 7, 8. in celesti illa gloria tempore
declaratæ maiestatis Christi, Petro, Iohanni, Iacobo, ad patet Luc.
9, 30.

64. Itane Iesuitæ religio nulla fuit? Spiritui sancto in os con-
tradicere, manifestam scripturam negare, veritatem subvertere:
Sanctissimos Dei prophetas ex beatissima illa celestis gaudij ciuita-
te in limbi carcerem tristem abijcere, à facie Dei excludere, don-
geq; fugare, pœna & cruciatibus infestare. ô proteiviam!

65. Nobis tutius erit Scripturæ, Dei sermoni firmo & infallibilis
soli attendere. Ea multis alijs insignibus elogijs piorum post clau-
tum vltimum diem latum beatumq; statum prædicat & confirmat
2. Cor. 5, 2 3. Spes & desiderium contuitus Dei cum hac vita termina-
natur. E. Phil. 1, 6. opus bonum in nobis inchoatum Deus perfe-
cturus est vsq; in diem Christi. At maximum bonum est facies Dei
alimento panis & aquæ illius viuificum. Ioh. 6, 51. 4, 14. vita Chri-
sti in nobis Gal. 2, 20. gustus celestis gloriæ & gaudij in hac vita
Ioh. 5, 24. 6, 40, 47. E.

Matth. 17, 3.
2. Pet. 1, 18.

2. Pet. 1, 19.

66, Eccles.

66. Eccles. 12, 7. Vnus & idem actus est, quo puluis & Anima suum principium, ille terram, hæc Deum perunt. E. 2. Tim. 1, 12. Noui cui credidi & certus sum quia potens est depositum meum conseruare in illum diem: Si conseruandum depositum vsq; in diem extremi iudicij, manebit ergò id nobis saluum & integrum.

Αποκαυ.

67. Quidquid præter & contra scripturam asseritur, illud vanum fallum & hæreticum est. At purgatorium à Pontificijs. E.

68. Confirmationem maioris si quis cupit, adeat is disputationes superius de verbo Dei habitas, vbi dilucide expositum inueniet, omnia illa quæ præter & extra sacram scripturam dogmata traduntur, supposititia & adulterina esse. Scriptura enim ancora illa sacra nobis est, qua vnica & sola expeditissimo nauigio ad salutis portum sistimur & defigimur. 2. Tim. 3, 16. Psal. 11, 9, 1, 2. 133, 19, 8.

69. Minoris prius membrum propria Pontificiorum confessione, & scripturæ alto silentio constat. Hæc vbiq; quando maxime occasio erat & decebat, nihil omnino purgatorij meminit Gen. 23, 2. 23. 9. 35, 19, 29. 50. 1, 2, 3, 24. ludus & solennitates funebres, Sara, Abrahami, Isaac, Rahel, Iacob, Ioseph, diligentissimè memorantur. Ledit. 1, 2, 3, 5, 6. &c. ὀλοκαυτώματα, & ἄλλα omnium generum fulsissima accuratissimæque institutione perscribuntur. 1. Thes. 4, 13, 14, 15. de officio & honore mortuis exhibendo, plena & peculiaris tractatio à Paulo instituitur: nullibi ne quidem minutissimus apiculus purgatorio vel fauet vel patrocinator.

70. Bellarminus multas empusæ formas assumit cauillando & blasphemando, vt telum hoc declinet, argumentiq; neruum infringat. Primum prætorium edictum sancit, nequis eo moueatur, quo minus credat purgatorium esse articulum fidei, nisi in Gehenna semper piterno incendio cruciari velit. Hinc iam cerebri Ieluitici dyscrasiam & stuporem æstimemus, quod nullis argumentis & demonstrationibus quantumuis euidentissimis, ab opinione semel concepta dimoueri, nullisq; anticyris sanari potest. lib. 1. de purg. cap. 11.

71. Hoc fundamento prius iacto, postea ad rē se accingit. Fatetur in Genesi non contineri dogma istud, sed tamē neq; necessariū esse vt vbiq; B 3 omnia

omnia dicantur. 2. neq; *Genesin librum dogmatum*, sed historiã quan-
dam Patriarcharum esse. Respondemus nos Bellai minũ nugas age-
re: 1. queritur enim de propria sede purgatorij, qualem præbêt ista
Generoseos, nõ qualibet scripturæ sententia. 2. an non Deus, crea-
tio, ex lapsu Adami subsequuta miseries, semen mulieris promissum,
iustificatio &c. ad dogmata fidei pertinent, & hæc tamen omnia in
Genesi copiosè explicantur.

72. Horum fulgor Iesuitam ita exsternauit, vt sententia priori reli-
cta, statim in contrariam descenderit. Fatetur in Genesi saltẽ *im-
plicitè* mentionem purgatorij contineri; quando enim dicitur Gen.
23. & resurrexit Abraham ab officio funeris: *quis prohibet, ait, per il-
lud officium intelligere non solum lacrymas, sed etiam orationem, & je-
iunium.* Eodem modo testimonia ex Leuitico petita exagitat: ne-
gat sacrificia pro peccatis tantum viuorum instituta, sed intelligi
debere pro peccatis tam viuorum quam mortuorum.

73. Respondemus nos, & præmissas & consequentiam inficiamur.
Probari primum debuit, restare aliquod peccatum expiandum post
mortem, Paullus Rom. 6, 7. negat. Si nullum est reliquum. E. nul-
lum officium nullumq; sacrificium pro eo.

74. 2. Sacrificia in Leuitico *Tantum* ad viuos & viuorum peccata
diriguntur, sicut ex sapius repetita sententia, *Si peccauerit anima sa-
crificium offerat* &c. meridiano sole lucidus patescit. Aut Iesuita cõ-
trarium veris & claris fundamentis demonstrat, nec ad agyrticam
sui generis Logicam, recurrit. 3. officium funeris vbiq; *tantum* ad
ieiunia & luctus de amissione, & morte coniugis aut amici re-
stringitur, & hoc manifestissimè in Dauidis historia adparet. 2. Reg.
12, 22, 23. Dauid non infantuli demortui, sed sui ipsius, causa luctet.
De infantuli enim statu beato post mortem lætus, abruptum bre-
uissimum gaudium adpectus & societatis eius lamentatur.

75. Desiderij autem sancti istius, quo Patriarchæ locũ sepulcri so-
lam terram Chanaan expetiuerunt, non hæc causa fuit, quia ibi so-
lum sacrificia pro defunctis facienda esse nouerant, quam Iesuita
mentitur. Sed alia longissimè causa eò sanctissimos illos Patriar-
chas impulit. 1. Promissio terræ istius, in qua cum viuis, ob frequen-
tes migrationes, pedem & habitationem figere non concedebatur,
mortui tamen eò beneficio frui exoptabãt. 2. Ecclesia ex posteris i-
psorum, cuius pomaria ibi loci exstruenda erant. 3. natiuitas seminis
benedicti, quæ ibi futura &c.

76. Quod

76. Quod præterea Iudæ oblationem pro mortuis Idolatris 2. Macc. 12. obijcit, eam si excusari & commoda interpretatione palliari non vult, nos & factum & historiam libri istius nihil moramur, improbamus, reijcimus.

77. Deniq; nebulas illas, quibus locum 1. Thef. 4. obfuscare fatagit, vnum axioma istud abstergit, dissipat. Verbum Dei non complecti doctrinā πρὸς τὴν ἀρεσκείαν, sed veritatem qualis in se est simpliciter proponere. Postea falsissimum est, Paullum nihil nisi Thessalonicenses ibi consolari voluisse: Modus cerre legendi & officium in defunctos, status & conditio defunctorum plenè exponitur.

78. Postremo, loca Pauli 1. Cor. 3. 12, 13, 14, 15. & c. 15. 29. Heb. 10, 26. lib. I. cap. 4.
de purg. &
cap. 10. ad stabiliendum dogma purgatorij iam supra allegata, quæ potissima ipsi fundamenta videntur & denuo ingeminantur, breuiter excutiemus, & conclusiones quas ex iisdè necit examinabimus.

79. 1. De loco, 1. Cor. 3, 15. potissima disceptatio in eo solum consistit, quis sit ignis ille, per quem saluus erit is, cuius opus arserit. Iesuita putat notari ignem purgatorij.

80. Nos contra nullo modo id largimur, 1. quia purgatorius ignis ex sententia Papistarum omnibus mediocriter malis, etiam laicis, conuenit, hic verò Paullinus solis Doctoribus. 2. quia ignis purgatorius est verus & elemētarius ignis, hic verò est, *Similitudinis*. 3. quia ij quibus vstrina purgatorij ad eunda, *verè vruntur & assantur*, hi verò ex Paulli mente tantum in *similitudine*, *Quasi vruntur*.

81. Qua ratione cauillus Bellarmini euanescit, qui *Quasi* istud non ignem, sed *trauseuntem* concernere contendit. Vtrumlibet enim sumas, tamè purgatorius ignis euertitur, quin & cōtradictio euidentissima cōmittitur, cum *Quasi ignis* tollitur, & *Quasi transitus* asseritur.

82. 2. Obiectio ex loco 1. Cor. 15, 29. deriuata, ruinoso ambiguitatis, ex Latina translationis particula, PRO, obortæ, fundamento nititur. In Græco habetur ὑπὲρ νεκρῶν, quod non est παρατήσεως, sed ἐμολογήσεως; & vel ritus ibi notatur primitiua Ecclesie in Catechumenis ad & supra mortuorum sepuicra baptizandis; vel ritus examinationis & professionis Catechumenorum de Articulis fidei Christianæ, qui confessione de singulis prius edita, postea *in & supra* eandem, adeoq; *super* mortuorum resurrectione aquæ baptismatis immergebantur.

83. 3. Datum Hebr. 6, 4. & 10, 26 tantum ad Purgatorium facit, quātum

tum aratra ad iacula. Et miranda certè est Iesuitarum efferata pro-
teruia, qua tam miserè scripturam lancinant, laniant, & ubicunq;
vocabulum ignis reperitur, statim ibidem Purgatorij sui spurium
spurcumq; dogma insinuari somniant.

84. Hoc in loco cum apostatis, qui post agnitam veritatem spōta-
nea defectione resiliūt eamq; sanie blasphemiarum malitiosè fœdāt;
redit ad gratiā negatur, & ob peruicaciā obfirmatam quæ plerisq;
communis est, terribilis expectatio iudicij & ignis æmulatio de-
nunciatur, indicitur, Bellarminus illico ad purgatorium suum ea
pertrahere tentat.

85. Verum quid reprobi, apostatæ, contumaces & præfracti, i-
gnis qui absorbet, consumit aduersarios ad Purgatorium? ne hilum.

Argumentum 2.

86. Scripturam dogma istud Antichristianum, veluti aduersa fronte, impugnare,
his Syllogismis demonstratur. Quidquid aliud medium purgationis à peccatis
inculcat, præter vnicum Christi mediatoris, illud contrā scripturam & in vulne-
ra Christi contumeliosum est. At purgatorium aliud inculcat. E.

87. Connexio maioris iam ex superiorib. constat, Es. 63, 3. Act. 4, 12. Col. 2, 14.

88. Assumptum probatione non eget. Confitentur hoc ipsi Papistæ, & hic noster Ie-
suita sexcenties inelamitat. Lib. 1. cap. 9. de purg. dicit, Id ideo exstructum esse, vt
peccata venialia & reatum pœnæ purget.

Argumentum 3.

89. Ibi tantum purgatio & remissio peccatorum locum habet, vbi est ministe-
rium euangelij & vsus clauium, Atqui in mortuis vsus horum non est. E.

90. Nexus maioris institutione & sine ministerij firmissimè nititur, Matt. 16, 19.
18, 18. Ioh. 20, 23.

91. Minor propositio inde robur suum, luculentissime haurit, quod in his terris
& Ecclesia solum claus illæ ius & maiestatem suam obtineant, Matt. 16, 16, 18.

Argumentum 4.

Rom. 13, 11.

I. Cor. 7, 29.

Ioh. 9, 4.

Gal. 6, 8, 9

Apoc. 20, 2, 13.

Marc. 16, 16.

Ioh. 1, 13.

92. Si in eos, qui fide vera in Christum diem suum claudunt, nullum amplius
iudicium cadit, sed protinus in vitam æternam transmeant, nullum erit Purga-
torium. At prius verum. E.

93. Veritas maioris ex immediata oppositione Credentium & Incredulorum
fatis superq; effulget. His ne Papistæ ipsi purgatorij pœnam temporalem assigna-
re audent, vtpote quos non nisi Gehennæ & æterni ignis supplicium manet.

94. At de illis quid post mortem agatur scriptura passim planum & perspicue
am reddit. Iohan. 6, 40. salus cum Fide immediate iungitur, resuscitatio
cum vitimo die.

95. Alia testimonia quæ id idem non minus clarè firmiterq; asseverant, adeoq;
Purgatorium ceu fulmina prosterunt, Ioh. 10, 28. Apoc. 14, 13. Esai. 57, 2, 21. 1.
Thes. 5, 10. Ecclesiaste. 9, 10, 11, 3. Rom. 8, 1. breuitatis studiosi, hic omittent &
sine ulteriori ponderatione præterire cogimur.

96. Sic Alias Bellarmini fallaciarum Strophas ab allegorij Scripturæ petitis
Matt. 5, 12. Luc. 12, 16. eandem ob causam recensere super sedemus, quatu tamè et-
iam inutilitatem primo oculorum ictu quilibet deprehendit, quemadmodum di-
sputationis nostræ conspectus manifestabit.



Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquiis et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.
Them. Theol. de Sacramentis in gr̄e.

De notitiis Dei et voluntatis ipsius humanis animis nā infitis et discipli-
nā ex cultis, D. Hofmanni. B.

Thesi de iustificatione hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de iustificatione contra Flacianos Joh. Ferinarii.

Assert. Theol. de iustificatione hominis coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa de iustitiā fidei ab opibus, M. Helsen, & M. Berzii

De Ecclesiā triumphante in caelis disputationes 2, quarū una de sanctorū in vitā aternā
nā beatitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. in quā explicant ps. 3.

1. qd fit Gog Magog, Babel, Mesoch, 2. qd per vocab. Turca significant
3. qd Turca sint flagella quō Deo castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. tota in refutando duobus cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in qua tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo ad
loco ubi ista eremient. 3. Cuius ob caus Turca Christianis immittat. 4. Cuius ratione sit repri-
mend. 5. Quo pacto et qd armis tandem medicisq; fuerint delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HUNNII.

Thesi de Predestinatione D. FREDERI.

Dis. de reali communicatione idiomatum in unā Personā Christi, M. Berndes.


Dis. de Baptismo capite papae D. RUNGII.

Thesi de Sacramentis in gr̄e GESNERI.

Them. Theologica de orali corporis Christi in cenā manducatione dictis Eucharisticis D. GESNERI.

Them. Theol. de communicatione idiomatum reali tertii grati, D. GESNERI.

DEO BENEIVVANTE:
 Theses
 DE ANIMAR VMSTA-
 TV POST MORTEM
 CONTRA PVRGATORIVM
Pontificium
 Ad disputationem XXV. in Collegio Studiosorum
 Theologiae privato ad 1. Maij institu-
 endam proposita
 M. LAURENTIO LAELIO Kleinlang-
 hemio Franco,
 Respondente,
 GREGORIO HAGIO Obernbrettano Franco



VVITTEBERGAE,
 Literis VVolfgangi Meifneri.
 ANNO cl. Is. IVC.

